1888. XII. 192.

Loeschius Andr.
Elogium

60 ...

ELOGIVM SER.^mæ HEROINÆ,

MARIÆ ARCHI-DVCISSÆ AVSTRIÆ DVCISSÆ BAVARIÆ,

BVRGVNDIÆ, STYRIÆ, CARINTHIÆ, CARNIOLIÆ: PALATINAE RHENI: COMITISSAE TIROLIS ET GORITIAE.

&c. &c.

EX TITVLI ANAGRAMMATE

AB ANDREA LOEAECHIO SCOTO F.

SVÆq; CEL.^ni

XENII NOMINE

DICATVM.



CRACOVIÆ,
In officina Ioannis Szeliga. A. D. 1 6 0 6.

MARIA ARCHIDVCISSA AVSTRIÆ: DVCISSA BAVARIÆ, BVRGVNDIÆ, STYRIÆ, CARINTHIÆ, CARNIOLIÆ: PALATINA RHENI: COMITISSA TIROLIS ET GORITIÆ, ETC. ETC.

Per Anagramma:

I S HEROINA, ARCTE DEO CHARA: I BEATA PATRIIS LARIBVS: I AVLÆ VITIO INVICTA: I CHARIS SENSV INTACTA: I ARIS ERECTIS SANCTA: I MATER, ADIICE GLORIÆ GRADVM.

Apoſtrophe ad Auſtriam:

Annum, quo Conſtantia Caroli & Mariæ huius filia Sigiſmundo III Poloniæ & Sueciæ Regi nupſit, Maiuſculis exhibens.

(Ctes:
SVnt IVXtà, fateor, te orbI qVIbVs AVſtrIa Ia-
At nIL haC CVnCtI PrInCIpe MaIVs habent.



Alpha

ALpha tu [illegible] at quod sexu altius, ARCTE
I CHARA HEROINA DEO, LARIBVSq; BEATA
A[illegible]u toties PATRIIS (sparsere hi Sceptra per omnem
Namq; orbem) Celsæ I[illegible] mihi Maiestatis ad horam
Ingentem sepone modum, Lux alma Tenebris,
Plumbo Aurum. I[illegible] Latio, Scotum licèt vltima Thule
Indicio prodat, decorare audebo cothurno
Te Te ego: quem numero quondam in quocunque locare
Dignata est tua Nata, oris dum præsidet altè
Sarmaticis. Famuli titulum iactare vel orbo, heu,
Fas mihi sit Dominâ. Nec enim hæc offensa iubebat
Successore alio veniente vt spretus abirem:
At veniam indulgens auro Regina grauato,
Spem supra & meritum, peregrinas visere terras
Posse dedit. Quorsum ast exordia sumo remota?
Si cantandus erat Troiæ qui primus ab oris
Italiam fato venit, Latioq; penates
Intulit Iliacos, Tu te præstantior ipsâ
(Si spectes alti sublimia pignora lecti)
Cur non carmen eris? quam Cælis enthea Virtus
Attrahit, & Pietas omnes vulgata per oras:
Sospite quâ sectanda viris exempla supersunt
Fœminei sexûs: mundam quam Numina secli
Labe virescentis (modò enim malesuada voluptas
Incrementa capit, senium ignoratq; libido)
Seruauêre sibi, cuius de semine semen
Imperio terras sancto in non sancta ruentes
Ad meliora trahat. Genitrix Sancto omine fulgens,
Da mihi te facilem. Præ te, nil serta morabor,
Amplius aut Hederæ, sterilis Lauriue. Facessant
Pœnis digna proci, spebus precibusq; puellas
Lactantis cunctas, ægrè nubentis at vlli.
Tu pia materia es: tua me tentare laborem
Gratum adigit Virtus: vitam exercere beatam

 Quâ

Quâ ſueta à teneris (celebranda ô fœmina in æuum)
Noſſe tui affectus animi, diſcernere tectos
Interiùs ſenſus, hoſtes quo robore vincas
Diſcere. Sis genio quamuis pulcherrima, at artem
Ne ſperne externam: I patere vt Pietatis honorem
Famam addam comitem. Solidis quas maxima latè
Fert humeris tellus, quaſq; ambit gurgite Nereûs
Fluctiuago, tantùm de tantâ nulla ſuperbit
Gens Heroinâ. Cæleſti ô ſemine cretæ
Quanam parte tibi, & magnis dijs æmula, cantum
Adgrediar? Referamne ſacros mea carmina ad ortus?
Exemtæ quondam dîæ genitricis ab aluo
Dijq; deæq; aderant: nentes fatalia penſa
Grandia concordes cecinerunt fata ſorores.
Caſta aderat Virgo, Cæli quæ munere Regem
Bis genitum peperit caſtum redolentia amorem:
Oſcula dumq; daret, Nomen conceſſit haberes
Ipſa ſuum, tanto mores quoq; nomine dignos,
Sic affata: CHARIS SENSVS INTACTA, profano
Tune AVLAE VITIO maculabere? Sidera primùm
Abſtulerit tellus, cæcoq; immiſſet Auerno.
INVICTA I MATER. Tibi ſe debere docebunt
Templa Dei: referent Tibi Sacra repoſta decorem:
ERECTIS ARIS Triadæ Tu SANCTA colendæ
Dicêris. Certæ menſuram ad GLORIAE & iſtum
ADIICE ſorte GRADVM, I Reges tua pignora poſcant
Imperij in Socias, Natabus ad omnia ductrix,
Quæ Pietas et cana Fides commendat, amandum.
☞ Verba habuere fidem. Cum Magno ô Magna marito
Laus tibi communis, qùod tot Virtutibus auctas
Des Sceptris Natas: propria at diffidere ſeclo,
Speſq; odiſſe omnes: Sirenum ac proximus olim
Dulichius timuit ſcopulos, dum perſona velis
Saxa inſopitis, argutaq; littora vitat.
Et veluti ſtrictè muros amplexa corymbis
Se ſe

Se se hedera innectens flectit, vestitq; cacumen,
Tu curas inter, vitæ studiosa remotæ
A turbis, sanctas solerti pectore leges
Scrutaris, sedesq; accedis mente beatas:
Indignata hominum fastus, moresq; superbos,
Tu tractas humilem terreno in corpore Diuam,
Quæ Regi placuit Superûm, meruitq; vocari
Et Virgo & Genitrix: Naturam ô nomina supra.
Quod rarum est inter turbas Aulæq; tumultus,
Sic semper mortem meditari, vt viuere rectè
Es solita: Exemplum ipsa tuis quâ lege relinquis
Vt præsint quamuis, animos deflectere ab Aulæ
Moribus adsuescant. Domus est velut aura beati
Agminis: Hic Pietas diffundit semina, Honestas
Incrementa capit, figit vestigia Virtus.
Adde quod è numero toto tibi nulla virago
Eloquium ignorat varium. Quæ ducit honestum
Ad sonitum gaudere lyræ, cytharâue moueri,
Aut saltu gestire vago? Iuuat ocia nullam
Sectari, aut formæ studio marcescere inani.
Tu, veluti Phœbum (Luci componere magnæ
Quis prohibet Magnam?) non ambitiosa domorum
Ornamenta magis quàm pauperis horrida tecti
Hospitia alliciunt omnes complexa fau ore,
Quos pietas commendat, amas: queis gloria Christi,
Ceu scopus ante oculos, ad quam tua vela gubernas.
Si qua fides meritis, famam tu margine Cæli,
Oceano nomen (Seclis ô digna futuris,
O inter Matres, Mater tam celsa feraces,
Quàm superant humiles montana cacumina valles)
Includes. Mulier, mirum, sine cædibus hostes
Saluificæ Fidei potuisti pellere ab oris
Austriacis, nudo fucantes omnia verbo,
Omnia temnentes mores redolentia auitos,

Communis laus cum functo luce ista marito.
Instinctu ille tuo Eöas poscentia gazas
Templa Deis, largæ monumenta insignia dextræ,
Tarpeiasq; inopum superantia tecta columnas,
Vel noua construxit, propè vel labefacta refecit.
O quis, ceu tu, quod meritis non possidet aurum,
At Regni votis, Heroo examine dignis
Impendit largè, credit seq; ipse ministrum,
Non dominum? Sunt, proh, reges (Non falsa canenti
Parcite Sceptrigeri,) qui possidentur ab auro.
At licèt imperitet nullo non axe repostis
Rex vnus populis, nunquam satiauerit ægrum
Auro animum: primæua est huic Cælestis origo,
Diuitijs tantùm inuisis satiata quiescens.
Dextræ vbi inexhausto quæ dona è fonte ferebant
Cuilibet, egregiè quicquam per facta merenti?
Heu cecidêre. Aut si superest quæ in luce relicta,
Pendet ab admonitu. Vetat hîc me dicere plura
Turba verenda. Quid ô generoso vulnere clarus
Miles aget, peregrinam impulsus lingere quadram?
Quid faciet iuuenis nec nummo ditior vno
E patrio censu, cum paupertate fameq;
Bella gerens (cupidus quamuis contingere honestum
Doctrinâ & virtute gradum) si præmia cistis
Committat princeps? Iaculando à fulmine sacrum
Iuppiter, an potiùs nomen trahit ille iuuando,
Dicite Sceptrigeri? O aliquem, qui largiter almis
Ingenijs faueat, tandem concedat Olympus.
☞ Discite ab Hac, Reges, non vestro claudere more
Mille seris aurum. Clausum quoque pandit hiatus,
Credite inexpletos, quamuis Tagus egerat omne.
Discite ab Hac, Matres, natas adsuescere Honesto.
Dum tenera est ætas, nec frænum respuit. Illæ
Quippe pudicitiam puro sectantur amore,

Quæ

Quæ laribus nihil aſpiciunt quod reddere molles
Adſpectu ſueuit. Strictum quondam ante tribunal
Stabis, eheu mater, natâ inſpectante capillos
Impenſè exornans: faciem quæ pyxide fucas:
Quæ ſaltare doces, nocuo. dum tibia cantu
Perſonat: Heus, ſtabis mater, natæq; rogata
Multa ſuper mores, tu te incuſabis, hiatu
Tartarei ſorbenda lacus. Sapito ante bilances
Quàm ſceleri tribuant pœnas in morte luendas.
Diſcite ab Hac matres, vos natæ diſcite ab illis
Non auro redimi (fugienda pericula cautis)
Horrere vnguentum vectum hùc à finibus orbis.
Infelix ætas: Italus mercator odore
Quam modò non cæcat? Pretium iam maius odores
Quàm veſtes poſcunt, magnumq; frequentia quæſtum.
Dimidium cenſûs nunc Nobilis vxor odori
Confert. Archiduciſſa intra conceſſa tenetur,
Tu metam excedas? Exemplo læditur omnis
Non inhoneſta tuo. Cenſu inferiore ſuperbis
Ornari gemmis, oſtro tunicisq; recoctis,
Et ſolido illuſis auro, luxuq; profuſis
O pudeat. Quid plura addam? ſecum aſpera quæque
Iudicium exercens, ſua facta redarguat vltro.
Ad te iterum redeo: Molli ô immunis ab Aula,
Tu (tanquam arentis confidens vertice Fagi
Turtur, & amiſſos ſpoliatus compare amores
Vocibus ingeminans querulis) viduata priori.
Indignâre viros: contendis pectore ad ipſum.
Quem metam ſtatuis cælebs contingere, Chriſtum.
Dicite vos flammæ cruciantes pectora amantûm,
Poſt raptos ullum Hæc an ſuſpirârit amores?
Dicite vos curæ, & peſtes mortalium acerbæ.
Ceſſerit Hæc viduum pectuſne Cupidinis igni?
Dic fomitem extinctis addens Cytheræa fauillis.

Optato anne tibi licuit gaudere triumpho?
An non Hæc de te retulit spolia ampla? trophæum
An non Hæc statuit? Fregit tua tela, Dione,
Extinxitq; faces. Lecti post vincla soluta,
Quêis lachrymis in casta ast Hæc te vota vocârit,
Audîsti genitrix, nullos experta Hymenæos:
Audiuit Iesus, mentemq; amplexus honestam,
Matris Acidaliæ infestas arctauit habenas.
Sunt tibi deliciæ trahere in ieiunia lucem,
Inq; preces noctem, momento intenta sub omni,
Non minùs ac si quæq; dies foret vltima vitæ.
Et velut in portu grauiori aduecta dolore
Naufragus amittit, quàm quæ periêre solutâ
Ad scopulos cymbâ, certâ sic lege senectæ
Iam propior mortem (Cui tu delubra locâsti,
Proroget ô annos) Fidei molimine certas,
Fructibus & Fidei agnatis, vt robore firmo
Expugnare Vrbem gaudentem robore vinci.
Diuite tu sub sorte facis quæcunq; probauit
Sobria Paupertas: irritamenta malorum
Subduntur: natos semper natasq; putâsti
Quêis nihil est proprium: credisq; dedisse tonantem
Mutua cuncta tibi, quæ tu sub imagine egenis
Restituis Castos censes tua pignora mystas,
Qui dignè arcano mundant immunda lauacro,
Et mores dignos sacris hortatibus addunt.
Tu pia possessor fortunæ munera donas
Templis, quêis Deus & numeris & carmine sacro,
Mutatur nostros artus, nostrumq; cruorem.
(Tanta homini supraq; hominem concessa potestas
De Cælo.) Natis ô Natabusq; superba:
Quam Nati & Natæ venerantur amantq; Parentem,
Quam vitæ ante oculos statuunt morumq; peritam

Doctri-

Doctricem. Nec tu, Genitrix, nec pignora fastu
Turgescunt vllo : gaudent obstringere egenos
AEternùm meritis, nihil ambitiosa, nec Aulæ
AEmula : tali etenim tali de semine fructus.
☞ Addito ad has Laudes (per quæ præconia de te
Tot mundo obuolitant, quot in alto sydera Cælo,
Post Phœbi occasus, apparent nocte serenâ)
Tu Generum mihi flecte tuum. Miserebitur ille
Forsitan, & spes restituet, quas sæpè fefellit
Sors, cogens vatem toties Helicona mouere.
Ah, nisi nunc faueat, misero nunc niq; benignum
Ostendat vultum, non de nutante capillum
Vertice concedet quæ crebro Occasio lusit.
Heu vitium Sceptris nimiùm commune. Reperta,
Principibus de tot cultis, tantùm vna repressit
Quæ sortem aduersam, mihi vix dignata rogari.
Eloquar, an sileam ? Cupias licèt ipsa latere,
Prodi Virgo. Etenim nunquam benefacta Poetis
Delituére diu : neq; tu fraudabere laude
Dandâ iure tibi. Es benefactrix, Regia proles,
Digna etiam Solio : non tam qùod filia REGIS
Aut SOROR es, quàm quòd tu post te pectore largo,
Qui præsunt Solio ad longa interualla relinquas.
Heu vitium Dominis nimiùm commune. Patronos
Amsanctos ZEBRIDOVI te, MINSCIADEMq;
Excipio. Vos me venientem fronte benignâ
Excepistis enim : dextram exhibuistis amicam,
Planè vt Virgilio (si non meminisse superbum
Est tanti vatis) fecisse Octauia mater
Fertur. Nam totidem, numeratis versibus, ille
Quot luxit tristi Marcellum funere ademtum,
Adiecit nummos auro meliore probatos :
Dona datis, quæ vos simul illustrare ferentes,
Meq; diuturnâ potuerunt soluere curâ.

De reliquis nunc vos, nunc barbara tollite ſecla
In faſtum. Muſis, mendici, opponite iam vos.
Trabula, & præco, nunc irridere nouenam
Cum Phœbo turbam. Potiori ſorte beati
Qui ſua cum externis mutant commercia terris,
Parſq; hominum ex imo ructat quę gutture voces,
Nunc denſum nunc grande ſonans, nunc ore rotundo
Intorquens modulos, flexas maiore boatu
Nunc geminans pauſas, exilia murmura nectens
Nunc plenis. Dũum ô quiſquam reuocaret in arctum
Ingentem hunc numerum, qui non vi aſt artib. vnctus
Admouêre manus ſacratis cenſibus. Heu nos
Interea, quorum pars (vſurpare veremur
Indignè officium quod pectora ſancta requirit)
Ad vitæ ſtudium vulgaris (dummodo pannos
Exigat à nobis laceros) addiximus annos.
☞ S[illegible] Deæ ſoboles, Conſtantia Matris imago,
O prohibere velis, pulchro aſſidiſſe macro
Cum [illegible] habitu, ſummo vt iuſtiſſima virgo tonanti
Aſſediſſe ſolet, per quas in pectore dotes
Pieridum Regina geris, ne turpis egeſtas
Conculcet quondam caſtas tibi numina Muſas.
Dedecus immane, heu [illegible], cui fauit Apollo,
Ad decus aſpirat, queſtus cecidiſſe Camœnas
Ipſe ſuas, aliquod poſcitq; leuamen egenis;
Non ſecùs auditur quàm ſi de puppe precantes
Audiat excuſſos nautas Neptunus, oborta
Dum pelagi rapidis Aquilonibus ira tumeſcit.
☞ Tu Rex (Quid querimur, ſpes eſt vbi nulla querelæ?)
Si tibi melle ſuo Regalem Gloria mentem
Affecit, vatis tandem miſerere precantis.
Accinctus ſtudijs, Podalirius atq; Machaon [illegible]
Queis quondam nituerunt, Pergameuſq; Galenus,
Abiectus iaceo, vulgi de more. Memento

Vt

Vt præter famam (quando non celsa potestas,
Non aurum duri pellunt obliuia lethi)
Nil de tot Regnis, post fata peracta, relinques.
O da queîs surgam (liceat mihi fundere pro me
Te coram voces) ducentia præmia ad artes,
Sic Regum interdum, vt plebis languoribus aptas.
Conari virtute meum est, conatibus atqui
Fortunam præbere tuum. Prece supplice posco.
Concessos citra Medicinam viuere in annos
Sic tibi contingat: tenerum sic principem Apollo
Instituat rebus: dotes sic fundere in vnum
Certet in hunc omnes Heliconia turba Camœnæ.
Dent Stagyritæos sensus: det verba loquenti
Flexanimis Pitho: veniant in pectus adultum
Sic Ciceronis opes: sic carminis arte Maronem
Nasonemq; æquet: Regis tituli atq; Poetæ
Sic Magnum illustrent, procul Aulæ à more remotum,
Quæ nudis sat habet titulis ceu nuda nitere.
Fama sed è titulis frustrà captabitur illis,
Queîs vitæ meritis nil vita est aucta peractæ.
Fac constet talem, nostris ô culte deabus
Rex toties, quale & Numen tibi poscis habere.
☞ Offendat hic si queruli TE verba Poetæ,
Res mihi parua quidem, sed magna modestia voti
Semper erit: nec ego; rea sed facienda potestas
Dicendi audacter pro se concessa Poetis.

FINIS.